



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Consilium in palatio celebratur, quo Constantinus ingressus vna cum  
episcopis considebat. Cap. X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII DE VITA

*De virtute et aetate ducentorum quinquaginta episcoporum. CAP. IX.*

**S**ed in hoc praesenti choro fuit Episcoporum multitudo, ad numerum ducentorum quinquaginta & amplius: praesbyterorum autem, diaconorum, acolothorum, & aliorum qui istos comitabantur turba, ne enumerari quidem potest. Atque ex his Dei ministris, alii prudenter & disertè dicendo, alii vitae gravitate, & constanti rerum arduarum perpessione, nonnulli quasi media inter istos interiecta viuendi consuetudine eximii, praecleara laudis insignia adepti sunt. Erant inter hos etiam non pauci, qui propter longinquum temporis spatium, quo vixerant, multum honorati fuerunt: multi, qui in ipso aetatis flore propter ingeniorum acumen, magnum splendorem sunt consecuti. Quidam modo in ministerii quasi cursum ingressi. Quibus quidem omnibus cibaria in singulos dies imperator large & liberaliter supeditari mandauit.

*Consilium in palatio celebratur, quo Constantinus ingressus una cum episcopis confidebat.*

CAP. X.

**D**e autem concilio, quo res in controuersiam vocatae dirimerentur, praestituta, singuli parati erant in ipsa media regalis palatii aula, quae amplitudine caeteris facile praestabat, illud celebraturi: ac compluribus sedibus in utroque aulae latere, ordine dispositis, qui erant accersiti, intus praesto fuerunt: & sedem, quae quenque decebat, capiebat quisque. Atque cum vniuersus ministrorum Dei conuentus decenti ordine collocatus esset, propter imperatoris aduentum, qui iam erat in expectatione, omnibus fuit silentium. Ac primum vnus ex principis familia, deinde alter ac tertius ingreditur. Imperatorem antecedunt alii, non ex armatis & satellitibus, qui ei adesse consueuissent, sed ex amicis solum, qui Christi fidem amplexarentur. Signo vero dato, quod imperatoris introitum

introitum indicabat, confurrexiffe omnes dicuntur: imperator deinde tanquam quidam cœlestis Dei angelus, purpureo vestitu & nitido, velut claro luminis fulgore splendescens, corruscantibusque illius radiis illustratus, & conspicuo auri, lapidumque pretiosorum nitore pulchrè adornatus, per medium confessum intrat. Atque hæc sunt, quæ ad corporis decus spectât. Quod autem ad animum attinet, eum timore Dei, & vera pietate insigniter decoratum constat: quas quidè res, oculi demissi, vultus pudor, & incessus moderatio satis indicabant. Quinetiam reliqua formæ species, & proceritas tum pulchritudinis excellentia, tum magnifica totius corporis cõformatione, tum inuicti robotis firmitate eximia, facile omnè omnium suorum præstatiã superavit. Quæ certè cum morum modestia, & mansuetudinis verè regis suavitate temperata, singularem mentis indolem, quæ nulla dicendi facultate explicari potest, declarabant. Simul ac vero ad summum locum venit, primum in medio cõuentu erectus constitit: ac cum parua quædã sella ex auro fabricata illi esset loco posita, non prius confedit, quam episcopi ad id innuissent. Idemque omnes post imperatorem factitarunt.

*Silentium concilii, postquam Eusebius episcopus pauca quædam dixisset.*

CAP. XI.

**E**piscopus autem, qui in dextro ordine primam sedem occupabat, assurgens, per breui oratione imperatorem affatus est: Hymnumque, quo dea omnipotenti pro illo gratias ageret, recitauit. Postquam ille assederat, omnibus aciem oculorum in imperatorem acriter intendentibus, silentium factum est. Imperator vero primum alacri obtutu & placido oculos in omnes coniiciens, suæque ipsius mentis & ingenii vires colligens, sedata ac leni voce, hoc modo apud eos dicere ingressus est.

*Constantini oratio ad concilium pro concordia.*

CAP. XII.

**Q**uoniam mihi admodum in optatis fuit, amici charissimi, isto vestro confessu aliquando frui, iam eo positus,